J. L. SZILLER

DE DIVERSIS
OFFICIIS MEDICI.

Amicorum optimo
Collega aestimatissimo
Domino
Constantino Puchly
Medicinae Doctori
etc: etc:
in p. s. m.

Dupl. coll. ad I 30368

14/X 89

Mayr

Auctor.

DE DIVERSIS OFFICIIS MEDICI

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA.

Auctore

Jos. Lud. Sziller,

Hungaro Soproniensi.

VIENNAE.

TYPIS VIDUAE ANTONII STRAUSS.

MDCCCXXXIV.

FRANCISCO XAV. SZILLER,

MEDICINAE DOCTORI,

ET LIBERAE, REGIAEQUE CIVITATIS SOPRONIENSIS

PHYSICO PRIMARIO.

PATRI PERDILECTO AC OPTIMO

IN PERENNIS FILIALIS AMORIS,

VENERATIONIS, AC GRATITUDINIS TESSERAM

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS SACRAS

ESSE VULT

GRATISSIMUS FILIUS

JOSEPHUS.

CLARISSIMO AC DOCTISSIMO

DOMINO DOMINO

JOANNI NEP. STERZ,

MEDICINAE DOCTORI

INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE

VINDOBONENSIS

MEMBRO ORDINARIO,

IN METROPOLI AUSTRIAE MEDICO PRACTICO

AESTIMATISSIMO ETC. ETC.

VIRO

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA

NEC NON

HUMANITATE ET VIRTUTE

AEQUE INSIGNI

FAUTORI OPTIMO

TANQUAM ANIMI GRATISSIMI

SINCERIQUE CULTUS MONUMENTUM

PIA CUM DEVOTIONE

HAS PAGELLAS INAUGURALES SACRAT

DEVINCTISSIMUS

AUCTOR.

I.

De officiis Medici erga se ipsum, et Artem, quam profitetur.

Universam naturam rerum examinare, neque tantum varietates, et motus corporum coelestium, aut atmosphaerae telluris nostrae singularia phaenomena contemplari, sed et corporum, quae a physicis in tria naturae regna dispescuntur, genesin omnem, incrementum et decrementum, praecipue eorum indolem, ordinem, et nexum studiosius perlustrare, et inde ad auctoris naturae venerationem duci; digna est occupatio viris in literarum cultura multum et diu versatis.

Verum omnem cognitionem studiose observando comparatam, in humani potissimum generis commodum convertere, sani corporis externum habitum, ac multo etiam magis internam partium solidarum fabricam, et fluidarum mixtionem, moresque et temperamenta, quae ab ejus dispositione semper pendent, attendere: mutationes item, quas morborum genesis, et progressus efficit, perspicere, et cum sano statu conferre, impetuosos saepe morborum insultus venientes reprimere, praesentes mitigare, et arcere, in rebus arduis, et difficilioribus consilio adesse, multa a nobis desiderantibus aegris, pauca promittere, nihil tamen denegare, remedia caute tentare, interdum mutare, confirmata animi constantia tot malis se opponere, aerumnas miserorum aegrorum cognoscere, iisque affici quidem, sed minime prorsus deprimi, curationes potius solatio, adhortationibus, interdum et

Auctoritate dirigere; hoc vere medici officium esto, in arte addiscenda, et facienda occupati. Omnia haec, de quibus in praecedentibus breviter egimus, exactissime scire debet medicus, quod quidem facile minime est; quare non immerito Medicina nostra omnium Artium censetur difficillima. Hoc tamen non deterreat ejus amatores, habemus enim certa Adminicula paulo inferius adducenda, quibus hoc Studium jucundissimum reddere, illudque facilitare valemus.

Fungitur itaque medicus officio certe gravissimo, quia id circa vitam humanam versatur; hinc et nobilissimo, et in quo non licet esse mediocrem. Ut autem quis studium hoc exactissime comparare queat; oportet tempori, atque ordini occupationes suas apprime adcommodare.

Multum sane refert ut studia sua rite instituere, beneque tractare sciat. Hic non solum respiciendum ad anni tempora, verum etiam ad unum quemque diem; nam discat tempori cedere, cum aliud meditationibus magis sit conveniens, aliud admemorationibus idoneum.

Vernum tempus aëre temperato vegetabilibus, aeque ac animalibus, et meditationibus vigentibus aptissimum. Si mediteris, mens sit tranquilla, omnis perturbationis expers, copiaque spirituum non pauca, hinc optime facit, qui scriptis eruditionem suam demonstraturus hoc petat tempus. Huic respondet aurora musis amica, corpora reficiens, et alacriora reddens.

Anni pars ferventior maxime consentanea est ad exercendam rem botanicam, utpote: floribus fertilissima, dissipati enim tunc spiritus calore, meditationibus non sufficiunt. Porro hoc tempus ob dierum longitudinem et peregrinationem, consuetudinem cum viris eruditis congruum est, item in praxi ad visendos aegros.

Autumnus impendatur studiorum repetitioni, et ordinationi eorumdem, quae verno tempore, vel ae-

statis aurora meditata fuere. Vesperi evolvantur libri practici aliique, et quidquid memoriae demandandum est, illudque fiat ante noctem; felicius enim tunc tenetur; id quod hieme observandum quo res memoriae tractentur, et quotidie legantur.

Ante omnia vero in hyeme experimenta chemica instituenda veniunt, tunc enim aestum facilius tolerare possumus, et hypocausta calida multis rebus requirendis ansam praebent.

Tandem quoque exercitio anatomico, quantum fieri poterit, incumbendum, quod tamen autumnali commodius peragitur tempore. Medicus nosse debet et chirurgiam, hinc, saepius intersito perationibus chirurgicis, easque probe observet, nec spernat chirurgorum, imprimis peritorum consuetudinem.

Medicus integritatem vitae, et viri boni famam atque existimationem praeseferat, est necesse; sceleri nunquam patrocinetur, nec abutatur aliorum miseria in suam libidinem, ut ait summus medicorum princeps Hippocrates: „Habeant Medici doctrinam, bonos, et generosos mores." Intelligebat enim vir prudentissimus, medicae facultatis perquam homines, publicae salutis praesides constituti, ad Deos prope ipsos accedere videntur, dignitatem omnem esse interituram, nisi ad illam exercendam, excolendamque homines probi, ac bene morati admoverentur, quique tum philosophia morali, tum physica imbuti sunt. Quae si intelligit medicus, non herbis solum, sed et verbis atque consiliis compescat plurimorum affectuum ex diversis cupiditatibus pravis prodeuntium effrena mala.

His et adjungere juvabit prolatum Angli medici Hamilton: „quod ipsi haud arrideat in excogitandis speculationibus occupari, et modo principia Aristotelica, modo anatomica, modo chymica, modo mathematica, modo mechanica suae structurae hypotheticae

fundamentum adoptare, sed praeter alia innocentiam, integritatem, et suavitatem morum exercere, quae notae characteristicae sunt, quibus verus medicus ab empyricorum turba distinguitur."

Medicus scientia physica instructus facile intelliget temperiem ignis, qualitates ciborum, aliaque, ut hac ratione fugiamus nociva, et appetamus naturae nostrae convenientia. Physicus autem tunc est, si effectuum, et phaenomenorum naturalium causas explicare valuerit. Ex quibus patet: medico minime sufficere cognitionem hominis, accedere debere quoque machinarum omnium in mundo obvenientium, sive quod idem est: mechanismi universi. Si enim macrocosmum non intelligit, quomodo quis quaeso potest cognoscere microcosmum? — Ante omnia vero eligat physicus philosophus sibi principia vera, et certa, quae fluunt ex recta ratione conjuncta cum experientia, unde recte ait immortalis Hartmann: „Ratio experientia adjuta, medicum dirigat:" fugiat cane, et angue pejus, quae figmenta, superstitiones et imaginationes pro fundamento agnoscunt. Instituat itaque comparationem omnium principiorum inter se, et cum experientia, continuet indefessam in ipsam vitae, et corporis vivi naturam inquisitionem, quae veritatem certe denudabunt. — Vera enim eruditio non est res imaginationis, sed potius intellectus.

Ad artem medicam addiscendam accedens tiro facilem, et amoenam ubique fere ingreditur viam, et initia itineris minime gravia, et molesta habet, cum enim quotidie nova, et inusitata naturae spectacula, et mysteria contemplanti retegantur; animus tanta rerum varietate excitatus, et allectus, vix exsatiari potest. Res cognitae nos subinde ad incognitas ducunt, et scientiae naturalis initia exigua saepe cultura assidua augentur, et ad insignem saepius amplificantur ambitum. Corporum naturalium indefessa contempla-

tio nos semper attentiores, et ad ulterius indagandum aptiores reddit; phaenomena enim semel, iterumque perspecta obortas subinde levant difficultates, animumque ad causarum disquisitiones ducunt, quarum cognitio tandem animos nostros in rebus naturalibus confirmat.

Sed progressus in arte ipsa saluberrima non aeque facilis est, ac initium; cum studiosissimus adeo naturae contemplator saepe haesitet. Animus multiplici varietate rerum excitatus ita perturbatur, ut phaenomena copiosa vix attendere, multo minus recte discernere, ac digerere possit. Quoties physicus in scrutinio rerum propter diversos effectus ambigere cogitur, nec verum eorum cum causis nexum adcurate detegere valet, ut in tenebras conjecto rursus ad principia regrediendum sit; si tandem in lucem emergere, novaque via tentata, novis item observationibus collectis et dispositis dubitationis nebulam discutere, et certa ab incertis, verum a falso internoscere cupiat.

Disquisitionibus his repetitis reficitur, viresque colligit animus, inventa veritate excitatur, et ad operam continuandam impellitur. Sed tunc quoque alia super alia disquirenti objiciuntur impedimenta: neque enim, quamquam vera scientia, examine caute continuato crescit, unquam tamen eo persuasionis ducitur, quo phaenomenorum declarandorum causa procedendum erat. Sagacissimi igitur naturae scrutatores lubenter quidem profitentur, se in obscuro versari, absconditamque rerum naturam non semper, et ubique relevari posse; nihilominus scientiam ejus ulterius illustratam, et confirmatam omni studio quaerunt.

Commemoravi paulo superius dari adminicula, atque auxilia, ope quorum studium medicinae facilitatur: quo referendi libri selectiores, quos sibi comparare debet medicus, ast multis se obruere libris non est consultum, omnibus itaque veteribus, patrem Hip-

pocratem, Celsum, et Galenum excipiam, carere facile possumus. Sint porro diaria experimentalia, chemica et practica: — diario experimentali inserantur quae observat, aucupatur, dum novas mixtiones tentat, quae phaenomena, quae mutationes accidant. Praesertim circa aërem, ejusque crebram conversionem sit occupatus, indagando tempestates, coelique temperiem et consequentia ex ipsis considerando. Sic tandem expertus ratione prognoseos multa certo poterit adserere, quae alii in dubio suspensum relinquunt. Inscribat porro in suum diarium varia experimenta chemica, observationesque circa processus rariores, nec taedeat carbonibus maculare manus, quia tenerae manus tenerum quoque indicant chemicum. — Diarium dein dixi practicum habeat: reflexiones enim in hoc vel illo morbo quotidie adnotare non detrectet, praesertim in primis praxeos annis, sic brevi tempore sibi comparabit egregium thesaurum, quem variis in casibus experientia confisus poterit consulere.

In medicina facienda, quae arte ipsa ad tuendam, et restituendam utitur sanitatem, saepe quidem non sine certa scientia versamur, consiliis potius, et remediis morbo debellando idoneis inventis, ea non sine fructu commendamus, et exhibemus. Monet nos natura aegri, dum ea in corpore molitur, quibus laesiones functionum corrigere tentat; etenim nihil suavius esse debet, quam perspicere, ac providere, quae sint abstrusiores morborum latebrae, quae insidiae, quae indubitata indicia, quae vires naturae, ac morbi, quae incrementi, status, decrementi ratio, qui denique exitus futurus sit. Quare audeo cum pluribus asserere: maximum certe medici artificium prudentiam animi ingentem ostendens in eo consistere: ut de malignis morbis certum ferre queat judicium, et qualis sit futurus eventus: agitur enim hic de vita hominis, et morte, utrumque nuntium, si modo certum, licet nonnunquam in-

gratum, divinum praesagientis ostendit, indicatque animum. Audiamus hic quaeso et Galenum: „generosi medici atque arte hippocratica digni est officium, futurum praecognoscere statum, cum omnem victus rationem ad ipsum inspiciens instituat. Eadem ratione principium morbi, atque augmentum, non ubi jam perfecta sunt, cognoscere; sed multo antea praestabat agnoscere.“ Has recte perspicientes curationibus nostris prosequimur, et actiones sanas superstites eo dirigimus, ut labefactatae sensim corrigantur. Auctos nonnihil naturae motus, ut salutares permittimus, nimis saepe langvidos incitamus, nimis vero vehementes caute refrenamus; ita namque diriguntur, et latentes saepe naturae vires excitantur, ut aegrum sub morbi mole decumbentem iterum erigamus, et sanitati restituamus. Accedit tunc voluptas summa, quae hac ex re, atque bene factorum conscientia oritur, gloria denique, dignitas, ac fiducia aegri certissima, modo eventus praedictis respondeat.

Ast conaminibus his naturae, et artis difficilia haud raro, nec semper removenda se opponunt obstacula. Defectus cognitionis causae, sine qua fallax morbi judicium, et inania remediorum tentamina deprehenduntur, auxilia gravi morbo debellando imparia, quae vim suam salutiferam exserere quidem incipiunt, nunquam tamen ut decet, absolvunt: facilis laesio ab haeroicis medicamentis nimis audacter tentatis, operatio ab inertibus, minusque efficacibus lenta, et inanis; aegri diaetae regulis minus obedientes, quibus vero non solum sanitas defenditur, sed morbi vehementia praecipue frangitur et refrenatur: innumeri Hygienes praecepta aut ignorantes, aut spernentes, propria culpa de morbo labuntur in morbum, et novem quamvis morbis medici industria erepti, decimo tamen praematurae succumbunt. Amici aegri alibi quaerelis, obstinatione, et negligentia officium medici, quod cura

sua juvare deberent, saepius adgravantes. Haec profecto omnia, et multa alia curationes morborum difficiles reddunt, et haud raro penitus impediunt. Ast omnibus perbene notum est: cunctos curare non est in medico, omniaque ad votum succedere, plane non est sperandum. Quid enim est frequentius, quam quod aegroti secundum medici praescriptum exacte vivere negligant? quid mirum igitur, si spem illius, cui vitae, et sanitatis non est absoluta potestas, eludat denegatum aegrotantis obsequium! — Quibus itaque periculis, et difficultatibus quam plurimis quamquam stipata sit medicina nostra, tamen non deterremur; sed ab altera parte magna medici aestimatio multum incitamenti addit illam amplectentibus.

II.

De officiis medici erga aegrotos, et horum propinquos.

Hactenus de peritia, et moribus quibus instructum esse decet, qui aegrotantium medelam in se suscipit: quorum prior medicum format, seu ad medendum idoneum reddit; posteriores fiduciam et aegri, et adstantium eidem conciliant. Progredior nunc ad illa officii medici momenta, quibus peritiam studiis et rerum usu comparatam, hic comprobet; seu quorum gratia potissimum ad infirmos accersitur, et ab his consulitur; i. e. ipsam medendi rationem ac per hujus congruam, et exactam administrationem medici genuini existimationem venerationemque ipso facto tuetur.

Medicus in curando nullam faciat distinctionem, quod sedulitatem vero, et attentionem concernit, seu pauperrimum quemdam, seu principem sanet; illi aeque ac huic diligenter, assidueque prospiciat, non faciat experimentum in anima vili. Praesentia medici in morbis acutis frequentior requiritur, quam in chroni-

cis, ob diversas mutationes in illis saepius contingere solitas. — Nimium parcus in visitandis aegris ideo non sit, quum dimidium curae in frequenti visitatione consistat; praesentia enim medici reddit aegrum confidentem, atque quae ab eo excitatur convalescentiae spes animum confirmat aegrotantis. Hoc quoque affectu alacriores redduntur, et excitantur spiritus animales ad debellandum hostem. Contra vero multi intereunt prae mortis timore, qui convalescerent, si talis affectus illis eximeretur. — Quare inique agunt, qui aegrotis nullum superesse plane pronuntiant auxilium, multo minus, qui eos deserunt, interdum ex tali immatura prognosi medicus non leves maculas famae suae inurit.

Ex visitatione aegri emergit certior morbi, et symptomatum cognitio, porro patet incrementum, et decrementum exinde, praecipue in morbis acutis, ubi mutationes variae ambiguae morbi praedicunt eventum. Oportet medicum aegrotum semper sedule examinare, ut sibi hac ratione genuinam morbi comparare possit naturam, nam ex aliorum relationibus nunquam, aut rarissime adcuratam morbi, aegrique constitutionem percipere potest, quum plerumque ea, quae summe forent necessaria, aut penitus omittuntur, aut longe alia ratione proferuntur. Audiatur hanc in rem effatum Hippocratis: „Ingressu utere frequenter, visita diligentius, his, quae a deceptis per errorem fiunt, ocurrens, ut mutentur. Facilius enim cognosces, simulque expeditior eris: „In curandis magnatibus medicus initians animo turbatur non raro personae magnitudine, nobilitate etc. hinc trepidabit, tumultuabitur; dabit remedia varia, properantur, et dosi nonnunquam nimia, ut morbum abbreviet; vel vero praeter rationem medicamenta mutabit. — Hanc medicus verus sortem certe ab omni alio homine invidendam habet, quod miseris tam praesentaneam opem ferre ubique queat, quod integrae prolium turmae parentum e mortis dis-

crimine servare non raro possit, quod per ipsum tot homines hac dulci aura, ut loquar cum celeberrimo Stollio, diutius fruantur.

Medicus sit cordatus, non timidus, in visitatione aegrorum non durus, et verbis asper in aegrotantes fortassis sensiliores, irritabiliores, magis impatientes. Discat compati, et compassione nec non auxilio morbos lenire, remedia ipso morbo graviora nunquam adhibeat. In morbis acutis et chronicis rebellibus, taediique plenissimis de officio suo, quod alacri saepe susceperat animo, conqueritur; gravem tamen laborem constantia et studio sustinet, atque interea animum vaccilantem confirmat, et ut primum aliqua spes sanandi aegri affulget, eo majori gaudio afficitur, quo magis omnia conamina inania fore timuerat.

Non pudeat medicum in singula inquire, historiam domi adcurate connotet, maximi vero, et summi sane momenti est, ut medicus diarium suorum aegrorum habeat, id vel domi, vel etiam penes ipsos aegrotantes saepe conscribat. Oportet porro medicinae cultorem non solum medica arte, ast et amica quoque conversatione cum infirmis, et adstantibus horumque propinguis loqui, id semper attamen respiciendo, an animus aegri, vel ejus vires talia ferant colloquia. Sermo medici itaque sit semper adaptatus gradui morbi, aegri conditioni, et moribus. Alia sane ratione conversamur cum Philosopho, prorsus alia colloquimur cum aulico, cum scientifico alia, et alia cum villico. Sermocinatio non sit semper ejusdem conditionis, ut animum aegri ne hilum commoveat, quin potius erigat, et exhilaret. Simili ratione sub cura docti sunt docte tractandi. Accidit enim interdum quod docti aegrotantes physicam callentes evolvant libros aliquos medicorum curiosos, praesertim circa affectum illum, quo corripiuntur ipsi. Hi successu temporis, vel ex diuturna consuetudine intercedente cum medico, vel etiam ex Autorum diligenti

lectione non levem acquisivere scientiam, didicerunt linguam medicam, licet non absque sumtibus. Saepius itaque medico eruditissimas proponunt quaestiones, ad quas respondere res non levioris est negotii. Moneo autem, ut tum respondeatur cum judicio, et ratione de praesenti affectu, ejusque causa magis speciatim indicetur docta partim addita ratione, quare hoc, vel illud in praesentiarum eligendum medicamen.

Penes haec autem medico minime repugnat taciturnitas, quae sanctissimis medici practici officiis est adnumeranda, et quam celeberrimi in arte viri summopere commendant. Medico datur enim frequentissima occasio domesticas, aegrotantium curae ejus concreditorum cognoscendi res; hinc summum erit ejus munus ea, non tantum silere, et tanquam arcana celare, quae penes infirmos, seu inter eorum curationem animadvertit, ast etiam: quae in communi hominum vita cognovit, et in aedibus hinc inde observavit. Maximum sane valorem habet hoc in cura foeminarum, ubi certae occurrunt circumstantiae valetudinis maxime medico celandae respectu fortunae futurae, aliorumque commodorum. Secretos vero morbos medicus perinde, ac confessarius silere tenetur, sciat haec altissimo, et perenni premere silentio; nunquam de aliorum morbis apud alios narret, ne inde tricae, et alia nascantur incommoda, quum aeger medicum valetudinis suae intimum selegerit consiliarium, et amicum, quare prudenter in hanc rem ait S i r a c i d e s: „Qui relevat arcana, amittit fidem.“ — Medicus porro indulgeat quae aut prosunt, aut saltem minime nocent. Opiniones adstantium probet, si probandae; reprobet vero, aut detorqueat, si hae reprobandae, aut detorquendae. — Nonnunquam a domesticis praesertim mulierculis diversa in varium finem laudibus extolluntur remedia, diversaeque methodi ea adhibendi; hae si bonae fue-

rint, aut non nocuerint lubens admittat, ut eo magis benevolos ipsos habeat in caeteris.

Aliud sane arduum, summisque difficultatibus obnoxium medici officium esto: futuram aegri praedicere sortem. Vitae nostrae cognoscendae, conservandae, et per multos annos producendae desiderium animis nostris ita impressum est, ut tamquam summum in aerumnosa saepe vita a creatore optimo concessum beneficium admirari potius, quam verbis digne describere liceat. Quare in certo, tristique casu aegri, horumque amici et cognati anxie ad medicum respiciunt, ab eo, tamquam vitae conservatore auxilium petunt, idque saepius vehementius instando urgent. Sub tali rerum adjunctis, si periculum instat, medicus in praesagiendo nunquam sit praeceps, sed ambiguus, circumspectus, et in promissionibus suis moderatus, nisi fors certissima, et omnino infallibilia suppeditant indicia, et tunc quoque sors illa deplorabilis non aegris, ast adstantibus prudentioribus, et illis quorum interest id scire, summa cum prudentia, et modalitate patefacienda, hocque ideo: ut aeger rebus suis domesticis adhucdum prospicere queat. Multum enim amarities ejusmodi praesagii terrifici lenietur, si aegrotans non per medicum, sed per amicos potius cognatos, et adstantes de eminente periculo mortis admonetur. Medico humano, etsi nihil possit esse molestius, nihilque magis ingratum, quam triste ejusmodi proferre nuntium; postulat attamen id justitia, exigit id officium medici.

Verum non enim sufficit ex quibusdam signis proximam divinare mortem, adynamiam curandi profiteri, et languentem aegrum divinae committere misericordiae; sed omnes tunc animi vires intendendae, ut officiis suis satisfaciat, et in rebus dubiis, arduis, atque conclamatis quoque talem se praestet, qualem desideramus medicum eruditum, et amicum; qui et nunc de

auxiliis cogitet, et adhortationes suas ingenio aegri, et amicorum adcommodet.

Cogitetis quaeso medici! de vestro officio eo tempore, ubi res aegri tranquillae adhuc sunt, et vos etiam ad eventus improvisos praeparetis. Haud raro enim accidit, ut symptomatibus levioribus obortis nonnisi bonum curationis eventum sperare, et promittere possitis, sed nolite tunc acquiescere, omnia potius perpendite symptomata, quae, etsi nondum adsint, ex improviso tamen nonnunquam ingruere, et mala morbi augere solent. Licet itaque medelam, quam aegroti eorumque amici exoptant, afferre haud valeatis, licet morbus refractarius molitionibus artis minime cedat; sufficit attamen si consilia dederitis, et medicamenta elegeritis, quae scientiae medicae seria consideratio, et usus suasit, et praecepit; nemo enim nisi iniquus arbiter indubitatum remedium gravissimi morbi a debili saepius arte desiderat.

Quamquam autem medicus in ultimo vitae scripulo ea remedia, quae aegrum nimis languidum reficere possent, non habeat, et rarius praesto sint, quae latentes, et in summa imbecillitate interdum emergentes naturae vires analepticis ulterius excitaverint medicamentis, et aegrum, jam in agone constitutum, ex morte in vitam revocent; sunt attamen nonnulla quae in maximis vitae aerumnis, doloribus, et anxietatibus levamen adferunt momentaneum. Inhumanum itaque foret, aegrum quem servari non posse praevidet medicus, vehementioribus praecipitare medicamentis excitantibus, mortemque accelerare; sed si tristem, minusque gratam moribundi vitam per aliquod temporis scripula protrahere potest, officium ejus, et humanitas exigit, ut illud omni cura adhibita efficiat. Quare linguam siccam, et jam immobilem humectet, frigidos sudores blando temperet aestu, respirationem anhelosam, et suspiriosam reddat liberiorem, cordis irregu-

lares motus, et pulsum inaequalem reficientibus confortet medicamentis, omniaque auxilia adducat, quae ultima vitae momenta, taediosissimis sensationibus stipata, quantum quidem ulla arte, in situs mutatione puriori aëris conclavis admissione, et in aliis externis rebus mutatis fieri possit, tranquillent.

Ast et medicus ipse, qui continuo desudat in visitandis aegris, et hac ratione officiis suis ad amussim satisfacere cupit, non raro aliis inserviendo sanitati, et vitae commoditati suae multum detrahit, ipseque in morbum incidit, quo tempore sui ipsius conservationis officium exigit, ut alios quoque consulat collegas. Quod nemo vitio vertat medico, imprimis acuto si laboret morbo; multi enim aegrotantes medici admoniti a proverbio: „medice cura te ipsum,“ viribus suis plus confidentes tunc temporis nimia quam par est, adhibita medicamentorum farragine, malum cum impetu detrudere conantur, nec circumstantias adeo in se pensitant omnes quam in aliis, quod saepius cum damno experiuntur proprio. Porro nec negligat alienam implorare opem, quando foemina, vel liberi ipsius morbo quodam corripiuntur periculoso, quoniam ipse prae dolore, tristitia, animique affectione omnia pensitare nequit.

Ad ultimum nunc devenio. Moritur aeger, amici autem cognati praesentes haud raro animi affectu nimis concitati, interdum dubitant, an vere mortuus sit aeger; signa enim vitae superstitis videre credunt, ideoque medici judicium et hac in re exigunt; quare caute inquirat, et defuncti corpus ita disponat, ut omnibus de certa morte necdum persuasis ostendat, vitae amissae restitutionem nulla prorsus ratione expectari posse. Tandem cura medici circa defunctos ea sit oportet: ut heredes moneat, ne vestimenta eorum, qui morbis suspiciosis ne fors contagiosis decubuere, sanis concedant: stragula, et conclavia adcurate pur-

gent, et omnes halitus morbosos, atque contagiosos ventilatione iterata removeant, ne sani iis correpti gravissimis quoque morbis afficiantur.

III.

De officiis medici erga collegas.

Videtur ad huc restare moderamen inter medicos sibi associatos, et quomodo circa hos penes aegrum, et circa hunc cum illis consultans se gerere debeat idem. De quibus nunc quaepiam dicturus sum. Jam Hippocrates hisce commendat consultationes medicas verbis: „*Ne vero indecore se ille gerat medicus, qui in rei praesentis angustia circa aliquem, et imperitia tenebras affundente alios quoque accessere jusserit, quo ex communi consideratione res circa aegrum inquirantur, ac dignoscantur, et illi cooperatores fiant ad auxilii ferendi facultatem.*“ — In morbis malignis, periculosis, lethalibus, longis utut curabilibus consilium aliorum petendum medicorum, sic dividitur medici fama, relictisque id manet solatii, medicos omnia praestanda praestitisse. Quare practici religiosi, et prudentiores ejusmodi penes infirmos collocutiones nunquam detrectant, aut horum suae curae commissorum desiderio hoc in passu facile abnuunt, i. e. si hi alios sibi praeter primum medicos accersere velint, tales prompte admittunt, et cum iis de morbo expugnando diserte, ac amice in salutem eorum concertant. Cognitio enim, et curatio morborum res sunt difficiles; quare oportet ut eorum veritas ex plurium voto elucescat. Medicorum vero consultationes quales cum Hesiodo honesta certamina Galenus appellat, magni semper ad artem exercendam, ac juvandam momenti deprehenduntur, i. e. medicis non minus, ac aegris solutares, et proficuae conciones ejusmodi eveniunt, utpote: quas necessitas ac usus et

tum aegro, tum adstantibus cum medico, desiderata peperit tranquillitas.

Tanta quippe utplurimum mentis humanae observatur imbecillitas, per quam ingenium sagacissimum quoque decipiatur, hinc aegrotantium animus dubius aliquando haereat, an non aliquid praesidii suppetat, medico ordinario minus perspectum. Quodsi vero a consultationibus pluribus nihil studii intermitti, omnes horum vires ad exponenda, quae in sui salutem vergunt, certatim quasi contendere, nihil sine praevia deliberatione sibi porrigi, et administrari videant, perspiciantque a priore munia medica secundum rectam rationem fuisse peracta: cum hoc tranquilliores evadunt, et si ad vota non sequatur sanitas hic imprimis a detractorum telis socia hac opera se vendicat. Nec ipsimet medico indecorum, et servile erit aliorum sententias, et consilium audire, iisque parere, utpote: qui consiliariis stipatus majorem in medendo adhibet diligentiam, testes circumspiciens actionum suarum, hinc ignorantiae, et negligentiae severiores censores.

De caetero ipsa quoque necessitas, seu casus difficultas aliquando adhibere jubet consultationes medicas, dum unus non videt omnia, unius mens omnium negotiorum incapax est, nec cuncta sua scientia complecti potest; pauca enim unus videt, et audit, ast multa plures. Sapientissimus quandoque sui obliviscitur, ac interdum *ἀπορίαν* patitur; adeo quidem: ut ipsummet Hippocratem fateri non puduerit se, quamvis senem, atque exercitatum, multa adhuc ignorare, et Fernelium scripsisse legimus: „*Multa, crede mihi deprehendes in rerum natura, si singula bene examines, in quibus caecutire humanum intellectum sit necesse.*“ Ut aliorum medicorum prudentum genuinas taceam infirmitatis suae confessiones supra dictas. Culmen itaque sapientiae humanae attigit ille, qui sapientiam suam suspectam habet, sibique persuadet, alieno se opus ha-

bere consilio: et in magnorum discriminum angustiis, ubi propria consilia remedium morbo adaequatum haud porrigunt, prudenter aliorum implorantur suffragia, quorum nempe prudentiam in similibus, nedum difficilioribus casibus approbavit experientia. Quando quidem sicut prudentis Naucleri est, maximis intempestatibus vectores quoque consulere; ita medentibus pariter consultatio ex eruditione, rerumque peritia plurima, eventum promittit salutarem. Aut, si quando demum medela forsan minus ex voto succedat, idem medicus consilii amans, frequentissimum vulgi sostrum calumniam declinabit commodius, perinde scilicet, ac si convalescat infirmus, honoris particeps est; ita ut, si quid humani accidat, cadaver facilius a pluribus ad tumulum deportetur, hoc est: levius maledicentium ictus excipiant plures, et multitudini frequentius condonetur.

Quibus tamen non obstantibus quibusdam in locis medicis exosae valde sunt ejusmodi disquisitiones medicae, fastu, et arrogantia tumentibus, et prae avaritia anhelantibus; ne futilem forsan famam et quaestum sordidum periculo exponant; adeo, ut rogante et jubente etiam aegro alios in curatione sibi adjungi minime patiantur, sed hos ad internecionem ejus ab hac variis fraudulentis machinationibus excludant. Porro medicorum quorumdam, praeter ordinarium introvocatorum, non unius generis observatur protervia, et malignitas, per quam eorum alii ad infirmos quam primum ingressi, elata satis fronte, ac supercilio, et per modum tentaminis scholastici, quis morbus? quae hujus causa? qualia remedia? quando etc. adhibuerit? ab illo sciscitant: minime eum in finem, quod erudiri de his gestiant, aut quo opem ferant aegrotantibus promptiorem; sed ut peritiam suam fastuose ostentent, et de hoc contemptus sibi sub primo morbi insultu facti, seu sui praeteritionis, atque de priore medico se insaluta-

tis vocato, ac medelam hactenus faciente, vindicias oportunas sumant. In cujus opiniones proin insultant, in consilia saeviunt, remedia cavillant, ruditatis eum plus minus directe insimulant, omniaque hujus dicta, et facta optime forsan ac perite gesta, errori vertunt.

Si cum juniore, et minoris adhuc famae concurrat senior, ac celebrior, quamvis ille, et aegri, et veritatis magis amans sit, mentisque acumine, studiis et opere hunc longe superet: hic opinione vulgi, et quod verbis suis, velut ab oraculo productis, undique credatur, nimis confisus, de junioris rite, ac perite peractis male sentit, et quasi inepte ac sinistre medelam hic hactenus administravit, mordicus pandit. — Quamvis eodem arrogantiae vitio laboret aliquando junior, a versatili forsan sua lingua, aut credulitate de se stolida seductus, ut cum seniore in concionem vocatus, hunc ingenii effoeti et torpidi, item morositatis, clanculum maligne satis ac indecenter proclamet, eo se plus sapere temere sibi persuadeat, huicque quam imprudentissime ogganiat. Hujus generis concertationum anilium, ac cachinno dignarum plures enarrare lubens abstineo, ne totum ordinem, artemque ipsam ludibrio multorum exponam.

Quare omnes, et singulos mente sincera monitos cupio, ne adeo facile in consultationibus obliviscantur personae suae, artisque saluberrimae. Polliceor sic mihi a quolibet medico ingenuo, ac pio, eum, si in quam inciderit rem arduam magis, alium, ab aegro et adstantibus advocatum, non alacriter duntaxat admissurum, sed ipsummet socium postulaturum, talem nempe: qui morum integritate, fama bona, eruditioneque pollet, sic enim non tantum conscientiae suae consulet, sed minus secundum artem administratae medelae quoque declinabit suspicionem. Congressus interim ejusmodi adornari debent tempestive, seu antequam decumbentis salus desperata plane evaserit. In

ipso autem congressu audacter quilibet exponat id, quod artis, et conscientiae dictamen disserere, facere, et non facere jubet: adeo quidem, ut a praedecessore socio, atque collega prolata atque acta haud simpliciter approbare teneatur, aut de his nihil omnimode dubitare prohibeatur idem, ne hujus forte indignitatem incurrat meliora perspiciens. Ab aliis contra sententiam suam quae referuntur, cum ratione refellat, aut iisdem subscribat; hoc quidem sine invidia, atque aemulatione, illud benevole ac modeste. Altercationes quippe tales amicae casum praesentem exactius discutiunt, et veritatis quasi ventilabra sunt.

Ratione informationis equidem in praxi aliquando contingere observatur, ut medicorum nonnulli, quae sibi secreta servant, remedia inter consultandum propalare nolint: quod tamen sicut consultandi scopum maxime evertere creditur, quatenus ignotorum virtus sub deliberationem venire nequit, haecque a collega, quem latent, sine simplicitatis et temeritatis nota nec approbari, nec repudiari valent; ita nefarium, atque impium ajunt, qui aliis conscientiores audire malunt, i. e. sub conscientiae forsan praetextu illis laboris, ac industriae propriae fructus eripere contendunt, a pietate ut plurimum quam alienissimi, et conscientia omnimode exuti.

Sufficere quippe in concertatione consultatoria puto, si, quod socio, et aegro commendat, remedii aetiologiam, et cui indicato speciali appropriatum hoc existat, innuat, v. g. quod sit nervinum, catarcticum etc. quod medico rationali facile erit, eique simul fidem per alia experimenta faciat; quod si hic non praestet, vel per cervicositatem praestare nolit, alteri, ut consultationi se subducat, svadeo; cum de re ignota consultare haud detur. Extra quem casum tamen minus approbo, ut quod quis callet, remedium praestans adeo mordicus sibi retineat, ut in sarcophagum secum

sepeliri, quam per idem aliis prodesse, malit, communicet potius lubenter, ac sincere cuidam quem peritum novit medicum fidumque, sui suorumque amicum. Sic enim proderit sibi, imprimis infirmis, ac publico, quamdiu superstes; proderit amico, aegris, arti, et posteritati defunctus, utrumque piissime, ac honestissime.

Absint demum in consultationibus medicis speculationes mere theoreticae, quae nullius fere, aut exiguae solum in praxi sunt utilitatis, et medici diversis addicti systematibus medicinae memores sint. hic de re, non de verbis agi.

Haec habui de diversis officiis medici memoranda, strictim solum, et summa tantum rerum capita attingendo. Id oro, atque enixe flagito, ut quem hucusque vestrorum amicorum studiosissimum habuistis, eundem porro quoque favore vestro non destituatis.

Theses defendendae.

I.

Lapis Lydius sanitatis foeminarum sunt menses.

II.

Morborum pectoris internorum difficillima est diagnosis.

III.

Fiducia in medicum pars est medicinae curantis aegrum.

IV.

Empyria rationalis felicissima methodus medendi.

V.

Peripneumonia vera raro sine sputis judicatur.

VI.

Magnitudo phlogoseos e solo pulsu mensurari nequit.

VII.

Subinde unus morbus feliciter tollitur per alium.

VIII.

Lithotomia ex se non curat radicaliter lithiasim.

IX.

Vivificatio, et animatio foetus, eo, quo conceptio fit, momento fiunt.

X.

Generationis humanae opus, et omnia, quae ad illud pertinent, hactenus nondum liquido exsplicari valent.

XI.

Nemo felix medicus, qui genio epidemico non indulget.

XII.

Consultationes in praxi medica summi valoris.

VIENNAE.

TYPIS VIDUAE ANTONII STRAUSS.

MDCCCXXXIV.